



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata**

In Qvatvor Tomos Distincta

In quo Dauidis Regis ac Prophetæ, aliorumque sacrorum Vatum Psalmi; ex  
Hebraica veritate in Latinum carmen obseruantissimè conuersi

**Arias Montano, Benito**

**Antverpiæ, 1589**

Psalmvs I. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44993**

27

P S A L M O R V M  
L I B E R I.

P S A L M V S I.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.

S A P I E N T I S S I M A E V I T A E  
I N S T I T U T I O .

*Ode Dicolas Distrophos.*

**N** O N qui consilio malo  
Aut decretâ volens impia suscipit,  
Aut qui mille nocens vias  
Insistit scelerum, criminis ac dolis,  
Nec qui simplicium vafer  
Derisor cathedris confidet inuidis:  
Ait ille innumeris modis  
Felix, multipli & sorte beatior,  
Quisquis perpetuos dies,  
Et noctes vigiles, grataque tempora,  
Et mente & studio frequens  
Impendit monitis, legibus ac Dei.  
Ille (est quale oleæ genus,)  
Ut stirps ad placidi consita fluminis  
Ripas, quam vitreus petit  
Permixta & saturat temperie liquor;  
Hæc spes agricolæ bonas  
Explet baccifero votaque munere:  
Quam nec destituit decor,  
Nec vestis foliis densa virentibus;  
Quamvis aura nivalibus  
Ventis vel feriat flammiferis nemus.  
Hæc quos flore nitens nouo  
Fruetus pollicita est, prospera confouet,  
Autumnoque refert suo,  
Maturisque probat viribus integros.  
Contra sed genus improbum  
Infestis agitur perpetuo malis:  
Magno ut turbinis impetu  
Gluma impulsa vagum permeat æthera,  
Nusquam & docta quiescere,  
Terris præcipiti concutitur fuga.

B 3

Ergo

- 5 Ergo nulla vel impios  
     Iura admota souent, vel ratio iuuat;  
     Quin cause penitus graui  
         Succumbant stabili iudicio Dei:  
     Nec quos inficiet scelus,  
         Iustorum excipiet consilium virum:  
 6 Namque horum facilem viam  
     Rex Diuum placido numine comprobat:  
     Illum at callibus auijs  
         Errantem exitium peruoltit gregem.

## PSALMVS II.

Quare tremuerunt Gentes.

DIVINI CONSILII PRAESTANTIA.  
*Ode Diclos Distrophos.*

- 1 **Q** Vid iste gentium tumulus omnium,  
     Manuque pacta fœdera,  
     Cui tanta mundus extruit pericula?  
         Cui tendit immanes minas?  
 2 Terreque iuncta conferunt negotia  
     Cum regibus simul duces,  
     Omnes ut alta copta dissident, sacri  
         Vnctumque deturbent Dei.  
 3 Rumpamus arcta vincula & graue impens  
     Age, heus, repellamus iugum;  
     Et colla reges atque gentes libera  
         Spretis feramus legibus.  
 4 Ast, qui poli patentis alto culmine  
     Astrisque rector infidet,  
     Curam inquietam & insolentes impetus  
         Aususque ritlens despicit:  
 5 Verbisque promptus intonabit acribus  
     Queis corda dura concutit,  
     Et queis furentes frangit ille spiritus  
         Terror percussos graui:  
 6 Vlto ipse Regem quippe quem dedi menti  
     Certo probatum numine,  
     Alii Sionis arce summa iussoram  
         Tenere sceptra regia.  
 7 Iam sancta magni iura proponam Patris,  
     Qui me benignus vnxerat:  
     Sic fatus IAS, gratus es mi filius  
         Productus hoc nouo die,  
     Die perennis lucis usque compote  
         Præsens nūhi qui permanet;

Petes